



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 4. Quinam contrahant peccatum originale.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

luntate unius, quem tot donis scientiæ, virtutum & iustitiæ originalis præmunivit, cum rem facilem præcepit, quem ad implendum præceptum abundantius auxilio adjuvit, proposito etiam tanto in obedientia mercedem, & privato ipsius & totius posteritatis commodo.

Obj. 2. Posterius Adami in eo peccaverunt, quia in eo virtualiter continebantur, tanquam in capite physico humani generis, quatenus omnes ab eo per generationem naturalem descendunt erant. *R.* hoc dici non posse: alioqui peccassent non solum peccato, quo transgressus est præceptum de non comedendo fructu, sed etiam omnibus aliis peccatis ejus, etiam venialibus; quia tunc non esset potior ratio pro uno Adami peccato, quam pro aliis. Dicendum igitur in Adamo peccante posteros ejus peccasse, quia in eo continebantur ut capite morali, & persona illos representante vi divini constitutionis, quoad transgressionem sicut & observationem præcepti de non comedendo fructu. Quo supposito, intelligitur quare posterius Adami uno illius peccato peccaverint, & non aliis.

ARTICULUS IV.

Quinam contrahant peccatum originale.

RESPONSIO I.

Illi soli contrahunt peccatum originale, qui ab Adamo per generationem naturalem descendunt.

Prob. ex Conc. Trid. sess. 6. c. 3. ubi dicitur: *Homines, nisi ex semine Ade propagati nascerentur, non nascerentur iniusti.* Ratio à priori est, quia illi tantum contrahunt peccatum originale, qui peccaverunt in Adamo. Nam contrahere peccatum originale, nihil aliud est, quam ab origine habitualiter maculari peccato primi parentis. Illi autem soli hoc modo maculantur, aut etiam maculari possunt peccato primi parentis, ad quos peccatum illud pertinet; & peccatum illud ad eos tantum pertinet, qui peccaverunt in primo parente; proindeque illi tantum contrahunt aut etiam contrahere possunt peccatum originale, qui in Adamo peccaverunt. Atqui illi tantum peccaverunt in Adamo, qui ab eo per generationem naturalem descendunt; cum illorum tantum, & non aliorum, voluntates inclusæ fuerint in voluntate Adami. Ergo, &c. Hinc Christus, qui non per viam generationis naturalis, sed mirabili Spiritus sancti opera conceptus est, nec contraxit nec contrahere potuit peccatum originale.

RESPONSIO II.

Omnes illi contrahunt peccatum originale, qui per generationem naturalem descendunt ab Adamo, nisi speciali beneficio ab illo communi malo eximantur.

Est contra Calvinistas, docentes natos ex parentibus fidelibus, à reatu peccati originalis immunes esse per non imputationem. Quamvis enim agnoscant in filiis parentum fidelium esse habituales concupiscentiam, in qua totam originalis peccati rationem constituent; volunt tamen esse in illis sine reatu pœnæ, & exclusionem à regno cœlorum, præcisè propter parentum sanctitatem, & nullo alio adhibito remedio. Contra hunc perniciosissimum errorem,

Prob. Resp. 1. Ex Script. Nam David natus erat ex parentibus fidelibus, & tamen Psal. 50. fatetur se conceptum fuisse cum reatu peccati originalis. *Ecco, inquit, in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Cum autem dicit, *in iniquitatibus*, numerum pluralem ponit pro singulari, quod Hebræis familiare est. Idem testatur Apostolus Ephes. 2. ubi de se & aliis fidelium parentum filiis affirmat, quod tam nati essent obnoxii odio Dei, & consequenter quod tam nati essent cum peccati originalis reatu, quam parentum infidelium filii. *Eramus, inquit, natura filii iræ.*

Prob. 2. Ex sensu Ecclesiæ, quæ semper judicavit baptismum ad salutem necessarium esse omnibus om-

nino parvulis, etiam parentum fidelium, & de illis semper intellexit illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Neque aliam ob causam fidelium parvulis, de vita periclitantibus, summa sollicitudine baptismum semper procuravit. Accedit auctoritas antiquorum Pontificum, Conciliorum & Patrum, qui, cum contra Pelagianos dicunt, eos qui naturaliter descendunt ab Adamo, nasci cum reatu peccati originalis, & baptismum indigere ad consequendam salutem & regnum cœlorum, nunquam excipiunt parvulos, ex parentibus fidelibus natos: imò Calvinianum errorem pluribus locis expressè refellit S. Augustinus. Unum pro omnibus proferamus. Sic itaque loquitur lib. 2. de peccat. mer. & remiss. c. 25. *Explicent etiam quomodo iustum sit, ut sancti ex fidelibus, & immundi ex infidelibus nati, pariter tamen, si baptizati non fuerint, regnum Dei non permittantur intrare. Quid ergo illis ista sanctitas prodest?*

Itaque juxta S. Doctorem, parentum etiam fidelium filii nascuntur, non sancti & iusti, sed peccatores & iniusti, proindeque obnoxii odio Dei & æternæ damnationi; cum non minus quam filii parentum infidelium, baptismum indigeant, ut intrare possint in regnum Dei, & consequenter ab æterna damnatione eximi; cum inter regnum Dei seu salutem æternam, & æternam damnationem, non sit medium. Merito igitur Synodus Tridentina sess. 5. can. 4. dicit: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizando negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti; aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam... anathema sit.* Quo anathemate configitur Calvinus, qui lib. 4. inst. cap. 16. docet fidelium parvulos ante baptismum susceptum, jam pertinere ad promissam credentibus hereditatem, nec baptismum indigere, nisi ut fiant membra Ecclesiæ.

Prob. 3. ratione. Quia, seclusa speciali præservatione, omnes illi contrahunt peccatum originale, & nascuntur cum reatu peccati originalis, qui peccaverunt in Adamo. Atqui omnes omnino, nullo excepto, qui naturaliter descendunt ab Adamo, in Adamo peccaverunt. Ergo, seclusa speciali præservatione, omnes omnino, nullo excepto, qui descendunt naturaliter ab Adamo, contrahunt peccatum originale, & nascuntur cum reatu peccati originalis. Minor constat ex dictis superius. Major verò facili probatur. Nam peccatum Adami fuit, secundum moralem æstimationem, peccatum actuale illorum omnium, qui in Adamo peccaverunt; proindeque naturali necessitate illos omnes, qui in Adamo peccaverunt, habitualiter maculat, ubi primum sunt, & consequenter à primo instanti conceptionis perfectæ. Ergo illi omnes, qui in Adamo peccaverunt, hoc ipso præcisè quod in Adamo peccaverunt, naturali necessitate, ubi primum sunt, seu in primo instanti sui esse, sunt odio & pœna digni propter peccatum Adami: habitualiter enim hoc peccato maculari, aliud nec est nec esse potest, quam esse propter illud odio & pœna dignum. Ergo, seclusa speciali præservatione, illi omnes, qui in Adamo peccaverunt, hoc ipso præcisè quod in Adamo peccaverunt, naturali necessitate contrahunt peccatum originale & ejus reatum: cum contrahere peccatum originale & ejus reatum, nihil sit aliud, quam esse odio & pœna dignum propter peccatum ab Adamo ut morali generis humani capite commissum. Porro dixi semper, *seclusa speciali præservatione*, propter B. Virginem, quam speciali Dei beneficio à peccati originalis macula præservatam fuisse, infra ostendemus.

Obj. illud Apostoli 1. Cor. cap. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.* *R.* Apostolum hoc loco hortari conjuges fideles, ne deserant conjuges infideles, si modò velint pacificè cohabitare; & rationem hanc reddit, quia matrimonium non

fit

fit illegitimum per conversionem unius conjugis, sed potius propter ejus fidem morali quadam sanctitate consecratur. Unde filii talium parentum non sunt immundi, hoc est, illegitimi, sed sancti, hoc est, legitimi. Non est igitur ad rem hic locus Apostoli.

Obj. Nemo potest transmittre id quod non habet. Sed parentes baptizati non habent amplius peccatum originale. Ergo non possunt illud transmittre ad filios. *R. dist. maj.* Nemo potest transmittre per modum causae id quod non habet, *C. maj.* Nemo potest transmittre per modum conditionis, qua posita, fit transmissio, & qua non posita, transmissio non fiet, *N. maj.* Parentes autem, etiam non regenerati, & consequenter adhuc infecti peccato originali, non transmittunt peccatum originale in filios, illud causando in filius, sed solum ponendo conditionem, quam non quidem ex natura rei, sed merè per accidens, sequitur peccati originalis transmissio. Hac autem conditio est generatio naturalis; illi enim tantum & omnes, seclusa speciali preservatione, contrahunt peccatum originale, qui per naturalem generationem descendunt ab Adamo; quia illi soli & omnes in Adamo peccaverunt, qui ab eo descendunt per naturalem generationem; eo quod illi soli & omnes inclusi fuerunt in Adamo, velut capite morali, & ita pro illis solis & omnibus peccavit Adamus. Hinc cum parentes baptizati naturaliter generent, sicut generant parentes non baptizati, tam & eodem modo transmittunt in filios peccatum originale. Sed ad plenioris praesentis difficultatis resolutionem, sit

ARTICULUS V.

Utrum libido, quacum parentes generant, sit causa transfusionis peccati originalis.

Nota, Janſenius lib. i. de statu naturae lapsae c. 6. & multis sequentibus, negat peccatum originale propagari per generationem naturalem, docetque unam causam, eamque physicam & necessariam transfusionis peccati originalis esse libidinem seu parentum concupiscentiam in usu conjugii: merum autem commentum esse pactum illud, sive virtuale, sive formale, quod à multis Theologis dicitur initium fuisse à Deo cum Adamo, ut capite morali totius posteritatis suae, atque in Ecclesia Dei incognitum fuisse ante scholasticorum tempora. Hanc autem doctrinam Janſenius mutuatus est à Luthero in Psal. 51. & à Calvino lib. i. instit. c. 1. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

Libido quacum parentes generant, non est causa physica & necessaria peccati originalis in parvulis.

Prob. Ex Apostolo Rom. c. 5. verbis jam aliàs relatis; *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Hoc est, omnes homines nascuntur cum reatu mortis, quia omnes nascuntur peccatores & injusti. Omnes autem nascuntur peccatores & injusti, quia omnes secundum moralem aſtimationem peccaverunt in uno homine, nempe in primo Adam, quando scilicet comedit fructum veritum. Mortis igitur, cui obnoxium factum est genus humanum, causa est originale peccatum; originalis verò peccati causa fuit unus ille homo, qui fuit primus Adam. Igitur, secundum Apostolum, causa transfusionis peccati originalis in omnes Adami posteros non est libido, quacum concipiuntur, sed Adamus ipse, quà scilicet relatè ad præceptum de non comedendo fructu fuit morale caput eorum omnium, qui ab eo per naturalem generationem descenduri erant. Manifestè igitur contradicit Apostolo Janſenius, cum causam peccati originalis in parvulis constituit in libidine, quacum generantur.

Confirm. 1. Si duo conjuges speciali Dei beneficio generarent sine ardore libidinis, nihilominus transfunderent in prolem peccatum originale; & è contra si

duo conjuges de novo crearentur, quamvis cum ardore libidinis generarent, proles tamen peccatum originale non contraheret, ut patet ex his Tridentini verbis sess. 6. cap. 3. *Nisi ex semine Ade propagati nascerentur, non nascerentur injusti: cum ea propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Unde sic argumentor breviter. Illud nec est nec potest esse causa physica & necessaria peccati originalis, quo posito, potest non esse, & quo sublato, potest esse peccatum originale. Atqui posito ardore libidinis in generatione, potest non esse; & sublato, potest esse peccatum originale. Nam in primo casu adhuc esset, & in secundo non esset. Ergo, &c.

Confirm. 2. Quia peccatum originale, saltem quantum ad formale, ut infra ostendetur, nihil aliud est aut esse potest, quam peccatum actuale Adami, quà fuit æquivalenter & æstimator peccatum actuale eorum omnium, qui via ordinaria generantur, & idè iis omnibus, qui via ordinaria generantur, moraliter inhaerens, eosque ita maculans & inficiens, Ergo peccatum originale est quoddam peccatum habituale relictum in posteris Adami ex peccato ejus actuali, quà fuit posterorum ejus etiam actuale peccatum æquivalenter & æstimator. Ergo cum una & eadem sit causa actualis & habitualis peccati, una & eadem causa est peccati originalis & peccati actualis Adami, quà nimirum fuit etiam æquivalenter & æstimator peccatum actuale posterorum ejus. Atqui causa peccati actualis Adami, quà fuit etiam æquivalenter & æstimator actuale peccatum posterorum ejus, est ipsa Adami voluntas, quà fuit æquivalenter & æstimator posterorum ejus voluntas. Ergo causa peccati originalis non est alia, quam voluntas Adami, quà fuit æquivalenter & æstimator voluntas posterorum ejus. Perperam igitur ad libidinem recurrit Janſenius.

Obj. S. Augustinus passim docet, non generationem, sed libidinem traducere peccatum originale. *R.* cum Bellarmino lib. 4. de statu peccati c. 12. S. Doctor non ita loquitur, quod velit libidinem esse causam physicam & necessariam translationis peccati originalis, sed ut significet peccatum originale traduci non præcisè per generationem naturalem; nam in statu innocentiae fuisset generatio naturalis, nec tamen fuisset tunc peccatum originale; sed per generationem naturalem ex natura corrupta, cujus certissimum indicium est ardor libidinis, sine quo etiam sanctissimi conjuges non solent generare.

Porrò S. Augustinus nunquam potuit sibi planè satisfacere circa translationem peccati originalis, ut patet ex lib. 5. contra Julianum c. 4. ubi circa questionem hanc mentem suam exponit: *Aut utrumque vitium ex homine trahitur, aut alterum in altero, tanquam in vase vitiatum corrumpitur: ubi occulta justitia divina legis includitur. Quid autem horum sit verum, libentius discō, quam dico; ne audeam docere, quod nescio.* Quorum verborum hic sensus est; Aut utrumque, nempe corpus & anima, vitiatum trahitur secundum sententiam eorum, qui tenent non solum corpus, sed etiam animam ex Adamo per generationem traduci: aut alterum in altero, nempe anima in corpore tanquam in vase vitiatum corrumpitur. Primum autem nunc dici non potest; cum nunc omnino indubitatum sit animas à Deo creari. Secundum ergo dicendum est, neque ut dicatur recurrendum est ad libidinem, tanquam causam physicam & necessariam peccati originalis. Itaque anima in corpore vitiatum per habitalem rebellionem concupiscentiae, vitiatum, quatenus macula peccati originalis non inficitur, cum à Deo creatur, sed cum per unionem cum carne ex Adamo tracta efficitur pars hominis; tunc enim primum existit homo, qui Adami filius est, & hoc ipso quod filius est Adami, peccati illius reus est, eoque proinde non solum secundum corpus, sed etiam & potissimum secundum animam maculatur. Igitur anima pro illo priori rationis, pro quo creatur à Deo, non corrumpitur, quia pro illo priori nondum est hic homo, ac proinde nondum est hic